

affirmativam teneri, proponitur. — Quæritur V. Utrum testis a iudice examinatus, et interrogatus an sit criminosus, vel aliunde nhabilis ad testificandum, teneatur respondere, suamque inhabilitatem confiteri? Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi est, quia iudicis est explorare in persona testium, an quis sit decurio, vel plebeius; an honestæ et inculpate vitæ, vel reprehensibilis; an locuples, vel egens, ut lucri causa quid facile admittat; vel an sit illi inimicus, adversus quem fert testimonium, vel amicus ei, pro quo fert testimonium, text. clar. l. III, § 1. ff. de Testib. et can. Si testes, § Testium fides. 4. q. 3. Ergo si iudex de his ex officio potest interrogare, etiam testis ei interroganti tenetur respondere. Accedit stylus tribunalium, in quibus varia interrogatoria circa personas testium fieri solent: ut puta, singulos eorum interrogando de nomine, ætate, et conditione sua, an sit dives nec ne, an ei aliquid fuerit datum vel promissum, ut sic testificetur, an sit amicus vel inimicus alicujus partium, ac hujusmodi: prout refert Speculator tit. de Teste. § Jam de Interrogatoriis, n. 19 postea breviter subjungens, quod testis interrogari debet de omni eo, propter quod repelli potest. Et tales interrogationes esse in usu, testatur etiam Abbas c. Cum causam, n. 13, h. t.

23. Refertur ratio in oppositum, una cum diversitate sententiarum. — In oppositum autem, seu pro sententia negativa facit: quia nemo tenetur prodere se, et propriam turpitudinem detegere, ac iudici denuntiare, arg. can. Quis aliquando. § His auctoritatibus de Penit. dist. 1 et l. Alias autem. ff. de Jurejurand. Hoc enim valde durum foret, et conditioni naturæ humanæ repugnans, contra ean. Erit autem lex. dist. 4. Neque videntur urgere jura proxime allegata: quia ubi solum dicitur, quod iudex debeat explorare in persona testium, quæ proxime enumerantur; quod recte fit, si talia exploret apud se, vel ab aliis: non tamen dicitur, quod talis debeat explorare ab ipsomet teste, saltem loquendo de iis, quæ propriam ejus turpitudinem, seu crimen concernunt: prout respondet Hostiensis c. Cum causam. n. 20, et Jo. Andreas n. 15 et Abbas cit. n. 13. de Testib. Atque ob hasce, et alias hujusmodi rationes, in utramque partem militantes, doctores in adversas abeunt sententias; prout videre est apud Abbatem loc. cit. ubi sex circa hoc doctorum sententias enumerat; et Farinacium de Testibus, quæst.

73, n. 34 et n. 53 et seqq. Unde majoris claritatis gratia, et competentem distinctionem adhibendo.

24. Tenetur testis respondere de illis, quæ ipsum reddunt inhabilem ad testificandum, simulque turpitudinem, seu crimen suum non detegunt. — Resp. I. Potest testis a iudice interrogari, teneturque respondere de omnibus illis, quæ reddunt eum inhabilem ad testificandum, simulque crimen, seu turpitudinem ipsius non detegunt. Ita Speculator cit. tit. de Teste, § Jam de interrogatoriis, n. 19; Abbas d. c. Cum causam, n. 13 h. t.; Farinacius, cit. quæst. 73, n. 34 et n. 70, allegans plurimos alios. Ratio est, quæ supra, n. 22, allegatur: simulque istud probat recepta praxis tribunalium, et longæva eorum consuetudo, quæ est optima legum interpret. c. Cum dilectus, de Consuetud. et l. Si de interpretatione, ff. de Legib. Id ipsum declaratur exemplis: sic enim potest testis interrogari, ac vi præstiti juramenti de veritate dicenda tenetur iudici interroganti respondere, cujus sit nominis, conditionis, ac ætatis: puta, an sit impubes, necne; an sit dives, vel pauper; nam paupertas non est de genere malorum, sicque non infamat, can. Illa cavenda, 15, q. 1; Abbas cit. c. Cum causam, n. 14, h. t.; Farinacius, loc. cit. n. 34, allegans alios. Potest etiam interrogari, an sit amicus, seu consanguineus producentis, haud obstante quod idecirco sit repellendus, et hujusmodi: talia enim non infamant, nec detegunt turpitudinem testis; sicque sunt aperienda iudici, utpote qui ex officio suo talia inquirere, ac interrogare tenetur.

25. Alias secus. — Resp. II. Loquendo tamen de iis, quæ concernunt crimen, infamiam, vel turpitudinem ipsius, tunc testis de talibus non potest a iudice interrogari, et interrogatus non tenetur respondere. Ita Abbas cit. n. 14, post Joan. Andream in addit. ad Speculatorem, tit. de Testib. § Jam de interrogatoriis, n. 22; Baldus in cit. c.; Cum causam, n. 51, et Hostiensis ibid. n. 20, de Testib.; Farinacius cit. quæst. 73, n. 53, allegans plures alios: contra Glossam in d. c. Cum causam, §. De causis, h. t. ubi sentire videtur, quod saltem respondere teneatur ad ea, de quibus traditur in l. III, ff. de Testib. ibi enim inter cætera iudex in testibus explorare jubetur, « An honestæ et inculpate vitæ, an vero notatus quis et reprehensibilis sit: » et contra Joannem can. Quærendum, 2, q. 7, et nonnullos alios, qui volunt testem non

posse quidem interrogari de crimine in specie, bene tamen in genere, an sit criminosus, seu an commiserit aliquod crimen, ob quod fit infamis.

26. Hujus ratio. — Ratio conclusionis est, quia in simili pars non tenetur respondere positionis criminose, seu factæ super crimine ejus, contra quem fit, juxta Glossam in c. II, §. Absque rationabili causa, de Confessis, in 6, ergo multo minus tenetur testis respondere tali interrogationi; prout argumentatur Baldus cit. n. 51. Accedit, quod etiam reus a iudice interrogatus non teneatur confiteri crimen, nisi prævia semiplena probatione: alioquin enim potest iudicis interrogationem bono modo, aut verbis æquivocis declinare, juxta amplius dicta superius tit. XVIII, de Confessis, § 7, n. 754 et seqq. Id ipsum suadet ratio n. 23, relata: quia videlicet nemo tenetur ultro se prodere, suamque turpitudinem iudici denuntiare. Unde si defectus ille, quo testis laborat, adhuc est occultus, tunc adversario contra ipsum excipienti incumbit probatio defectus hujusmodi, l. II, ff. de Probat. alioquin testis ille præsumitur bonus, idoneus, cap. ult. de Præsumpt. cum similibus. Si vero defectus ille est publicus, simulque per partes non remissibilis, jam iudex ex officio tenetur testem repellere: vel, si ille per partes remitti potest, nec tamen adversarius excipit, censetur is hoc ipso in testem illum consentire, ipsumque ad ferendum testimonium habilitare, juxta proxime dicta n. 18 et 21.

27. Si tamen respondeat de concernentibus suam turpitudinem, creditur ipsi. — Resp. III. Etsi testis non teneatur respondere de iis, quæ continent suum crimen, aut turpitudinem, ut dictum: nihilominus si respondeat, et ultro confiteatur, creditur ipsi contra se ipsum, sicque repelli debet. Ita Innocentius in cap. II, de Confessis, et alibi, quem refert, ac sequitur Abbas cit. c. Cum causam, n. 13, h. t.; Farinacius d. quæst. 73, n. 67, allegans alios. Ratio est, quia talis confessio fit in iudicio, simulque est de circumstantiis testimonii; ergo, si fiat, fides eidem erit adhibenda, ut c. Inquisitionis, 21, § Tertius, de Accusat.

28. Et quid, si hanc quis confiteatur, ne cogatur ferre testimonium? — Nec obstat, si dicatur posse talem confessionem fieri a teste, ut evitet testimonium, seu non cogatur ad istud ferendum. Nam contra est, quia non est verisimile, quod quis tantam turpitudinem suam in publico iudicio mendaciter asseveret;

nam crudelis est, qui negligit famam suam, can. Nolo, 12, q. 1. Quamvis Speculator tit. de Teste, § 1, n. 43, asserat, stante tali dubio, testi deferendum esse juramentum, vel veritatem plenariam esse inveniendam per torturam, arg. can. Illi, 5, q. 5 et can. Indicantem, 30, q. 5 et c. Cum Joannes, § fin. de Fide instrument.

§ I.

DE INFAMIBUS, ET CRIMINOSIS, CEU TESTIBUS MINUS IDONEIS, AC REPELLENDIS.

29. Infamia, et bona fama, quid? — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit infamia, et quis testis infamis? Resp. I. Infamia vi nominis idem est, ac privatio seu diminutio bonæ famæ. Et quia bona fama, sive « Existimatio, est dignitatis illæ status, legibus ac moribus comprobatus; » prout dicitur l. Cognitionem, ff. de Variis et extraord. cognitio. Hic e contrario « Infamia est læsæ dignitatis status, vitæ et moribus reprobat; » ut loquitur Fagnanus in c. Vestra, n. 31, de Cohabitat. cleric. allegans alios.

30. Testis infamis quis? Infamia æquiparatur morti. — Ac per hoc patet, quis censeatur Testis infamis, nempe is, qui laborat infamia, seu mala fama. Quam quidem infamiam morti æquiparari, probat textus in l. Justa, ff. de Manumissis vindicta, et l. Isti quidem, § Quod si, ff. De eo, qui metus causa, etc. Farinacius de Testib. q. 56, n. 1.

31. Infamia alia est facti. Et an etiam hæc oriatur ex vita bonorum. — Resp. II. Infamia est duplex, alia juris, alia facti. Ita Glossa can. Infames, 3, q. 7, §. Infamia, Bartolus in l. I, § Secundo videndum, ff. De iis, qui notantur infam. et communis. « Infamia facti accidit, » quando quis tale quid commisit, seu perpetravit, propter quod ejus bona fama, seu existimatio, apud probos et honestos viros læditur, seu aggravatur, licet jure aliquo expresso non notetur infamia. De hac fæctio in c. Testimonium, 54, h. t. illis verbis: aut « gravata sit ejus opinio. » Item et in l. II, ff. de Obsequiis a liberis, etc. ibi: « Licet enim verbis edicti non habeantur infames ita condemnati, re tamen ipsa, vel opinione hominum non effugiunt infamiam notam. » Simile quid habetur in l. Ea que, c. Ex quibus caus. infam. irrog. et can. Sunt plurimi, 6, q. 1. In quo posteriori loco dicitur, infamiam facti etiam ex vita bonorum oriri posse, quando

næ ab ore vituperantium suffocatur; juxta illud Apostoli, II *Corinth.* vi, 8. *Per infamiam, et bonam famam.* Verum istud posterius non nisi improprie accipi potest: nam ex actibus bonis, ac virtuosis, nequit bona fama alicujus apud probos et honestos lædi; alioquin enim hoc ipso tales, ob conceptum temerarium judicium, non amplius forent probi et honesti.

32. *Infamia alia est juris. Hæc infertur dupliciter, videlicet ipso facto, aut per sententiam judicis.* — Infamia juris est, quæ ab ipso jure infligitur, seu decernitur in certa crimina committentes. Atque hæc infertur dupliciter, videlicet vel ipso facto, vel per sententiam judicis juxta textum in can. *Infames*, § *Porro*, 3, q. 7, ac notat Glossa ibid. §. *Infamia*; Abbas, c. *Testimonium*, n. 6, h. t.; Bartolus, ubi supra, et alii.

33. *Quando censeatur inferri ipso facto.* — « Infamia ipso facto » inferri censeatur, quando hæc delinquenti infligitur ipso jure, absque ministerio judicis; tunc enim eo ipso, quod quis facit aliquid prohibitum, ipsum jus profert sententiam et infamiam irrogat. Et hoc est, quod dicitur « ipso facto, » id est, propter ipsum factum: seu (ut alii loquuntur) « ipso jure, » hoc est, jure ita sententiante, seu statuente. Exempla eorum, qui secundum leges ipso facto infamiam incurrunt, ponuntur in cit. l. I, A *princip.* ff. *De iis, qui notantur infam.* ut sunt, ignominiose dimissi ab exercitu, histriones, exercentes lenocinia, et hujusmodi; quibus Engel h. t. n. 14, addit deprehensos in adulterio, contrahentes incestuosas nuptias, polygamos, ac sepulchrorum violatores.

34. *Quando censeatur inferri per sententiam judicis.* — « Infamia per sententiam judicis » econtra inferri censeatur, quando ea per jus decreta fuit in committentes certa delicta, ita tamen, ut primum sit contrahenda, postquam quis per judicis sententiam de tali crimine condemnatus fuit. Sic contingit, quando « quis in judicio publico, calumniæ, prævaricationisve causa quid fecisse judicatus fuerit: qui furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo malo, et fraude suo nomine damnatus, pactusve erit, » et hujusmodi, prout loquitur textus in cit. l. I, § *Qui in judicio*, ff. *De iis, qui notant infam.* ac per leges sequentes ibidem amplius declaratur. Quibus in verbis est ponderandum ly, « judicatus fuerit, damnatus erit. » Unde Bartolus in cit. l. I, § *Circa quam distinguendum*, inquit, quod

infamia non irrogetur ipso facto per legem, nisi super facto sequatur sententia judicis.

35. *Qualiter utraque infamia repellat testem testificando?* — Et quidem infamia ipso facto contracta repellit testem a testificando statim, etiam non expectata sententia judicis. Farinacius, *de Testibus*, q. 56, n. 35. Secus dicendum de infamia, quæ quidem a jure statuta est in delinquentes, non tamen ipso facto contrahitur; ac proinde, donec sequatur condemnatio judicialis super crimine admissio, testem a testificando non repellit Farinacius, loc. cit. n. 35 et 36, post Tiraquellum, *De revocand. donat.* §. *Revertatur*, n. 385, et alios.

36. *Secundum canones potest addi tertium membrum, videlicet infamia canonica. Hæc irrogatur ex quolibet peccato mortali.* — Resp. III. Præmissæ duplici infamiae potest secundum canones addi tertium membrum, videlicet « infamia canonica: » hoc est, illa, quæ irrogatur ex quolibet peccato mortali. Ita Glossa in can. *Infames*, 6, q. 1, §. *Fures*, ex textu illius canonis concludens, quod omne crimen infamet secundum canones. Speculator, tit. *de Teste*, § 1, n. 25; Fagnanus c. *Vestra*, n. 37, *de Cohabitat. cleric.* Idque ulterius desumitur ex can. *Omnes*, et can. *Illi qui*, 6, q. 1. In quo posteriori loco Fabianus Papa omnes eos, qui illa peccata perpetrant, de quibus Apostolus ad *Galat.* v, 21, scribit: *Quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*: valde cavendos esse dicit: « quia infamiae maculis sunt aspersi. » Ubi proinde Glossa §. *Leges*, hanc infamiam appellat *canonicam*: ac sequuntur doctores jam allegati, et alii.

37. *Infames secundum canones censeantur omnes, quos sæculi leges pronuntiant infames. Nisi specialiter isthæc infamia per canones tollatur.* — Quæritur II. Quinam secundum canones censeantur infames? Resp. I. Infamia juris secundum canones contrahitur ex omnibus criminibus, sive causis, ex quibus jure civili notatur quis infamia: nisi infamiam jure civili introductam canones specialiter sustulerint. Ita communis. Et quidem prior pars patet ex can. *Omnes*, 6, q. 1, ubi Hadrianus papa expresse sic loquitur: « Omnes vero infames esse dicimus, quos leges sæculi infames appellant. » Concordant textus in can. *Infames*, 6, q. 1, ibi: « Infames esse dicimus omnes eos, quos ecclesiasticæ, vel sæculi leges infames pronuntiant. » Altera vero pars probatur ex cap. ult. *de Secundis nuptiis*: ubi infamia illa, quæ jure civili

in l. 1, *de Secund. nupt.* decreta fuerat in mulierem intra annum luctus nubentem, specialiter sublata fuit; eo quod nubens post obitum viri, etiam intra annum, concessa sibi ab Apostolo, I *Corinth.* vii, 39, utatur potestate.

38. *Infames in specie, qui?* — Resp. II. Quænam personæ in specie censeantur jure canonico infames, refertur cit. can. *Infames*, 9, q. 1. Et sunt « omnes, qui christianæ legis normam abjiciunt, et statuta ecclesiastica contemnunt: » similiter fures, sacrilegi, et omnes capitalibus criminibus irretiti, sepulchrorum quoque violatores, et qui adversus patres armantur: similiter incestuosi, homicidæ, perjuri, raptores, malefici, venefici, adulteri, de bellis publicis fugientes, aut facultates Ecclesiæ abstrahentes injuste, calumniatores, et « omnes anathematizati, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsati: et omnes, quos ecclesiasticæ, vel sæculi leges infames pronuntiant. » Concordat textus in can. *Constituimus*, 3, q. 5, ubi Eusebius papa, renovans cana Patrum statuta, denuo constituit, ut « homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, adulteri, incesti, venefici, suspecti, criminosi, domestici, perjuri, et qui raptum fecerunt, vel falsum testimonium dixerunt, seu qui ad sortilegos, divinosque concurrerunt, similesque eorum nullatenus ad accusationem, vel ad testimonium sint admittendi, quia infames sunt; et juste repellendi, quia funesta est vox eorum. » Hæc ibi. Quamquam Glossa ibid. §. *Quia infames*, recte notet illa verba, « quia infames sunt, » non esse referenda ad omnia supra dicta: quia suspecti, et domestici, non sunt infames, etsi sint repellendi a ferendo testimonio.

39. *Infamia juris orta ex crimine occulto, tollitur per penitentiam.* — Resp. III. Infamia juris, quando orta est ex crimine occulto, tollitur per penitentiam: secus, quando oritur ex crimine manifesto, de quo quis per sententiam condemnatus fuit aut quod aliunde notorium existit. Ita Glossa in can. *Illi qui*, 6, q. 1, §. *Nisi eis*, et Fagnanus cit. c. *Vestra*, n. 37, *de Cohabitat. cleric.* ac Speculator, tit. *de Teste*, § *Opponitur*, n. 86. Ratio est, quia ex crimine occulto, licet de jure induceret infamiam, non læditur existimatio, seu dignitas status delinquentis coram hominibus, utpote qui occulta cognoscere, vel de ipsis judicare nequeunt: nisi forsitan tale crimen postea propaleatur, seu

ordine judiciario comprobetur; quia tunc sententia declaratoria judicis super crimine admissio retrotraheretur, et infamia contraheretur. Farinacius, *de Testib.* quæst. 56, n. 36 et alii.

40. *Eaque peracta licet sacros ordines suscipere.* — Facit ad hoc textus in cap. ult. *de Temporib. ordinat.* ubi clerici, qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falsi testimonii, bonum conscientiae rectæ perdidissent, si talia crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, post peractam penitentiam (excepto homicidio) non impediuntur sacros ordines recipere, aut in susceptis ministrare: haud obstante, quod ejusmodi crimina soleant inducere infamias juris. Concordant dicta superius lib. I, tit. VI, *de Electione*, § 9, n. 226 et 227.

41. *Secus dicendum de infamia orta ex crimine manifesto. Hanc non nisi princeps auctoritative tollere potest.* — Porro infamiam juris ex crimine manifesto subortam, auctoritative tollere, seu abolere, spectat solummodo ad principem, sive ad summum Pontificem, veluti conditorem canonis, arg. c. *Cum te*, 23, *de Sentent. et re judicat.* ac notat Glossa fin. et Barbosa, ibid. n. 6; Covarruvias, l. III. *Var. resolut.* cap. III, n. 3; Fagnanus in c. *Vergentius*, n. 38, *de Hæretic.* et alii. Adde istis proxime dicenda n. 46.

42. *Infames infamia juris non admittuntur ad testificandum, tam in causis criminalibus, quam civilibus.* — Quæritur III. An, et quando infames repellantur a ferendo testimonio? Resp. I. Regula est, quod infamis infamia juris non admittatur ad testificandum tam in causis criminalibus, quam civilibus. Ita Farinacius, cit. quæst. 56, n. 26; Mascardus, *de Probat.* concl. 1363, n. 2, et communis aliorum. Idque clare habetur decisum can. *Nulli*, 3, q. 4, et can. *Constituimus*, 3, q. 5, et can. *Testes*, 2, q. 7, et can. *Præterea*, 7, *de Testib. cogend.* cum similibus. Concordat textus in l. 3, § *Lege Julia*, ff. h. t. ibi: « Alii vero propter notam, et infamiam vitæ suæ; admittendi non sunt ad testimonii fidem. » Accedit ratio, quia infamis caret fide eo quod status ejus sit diminutus; et vita moribusque reprobatus: atqui fundamentum testimonii, est fides, c. *Forus*, § fin. *de Verb. signif.* et notat Abbas in c. *Testimonium*, n. 6, vers. « Ego in hac materia. » *De Testib.* Deinde, ferre testimonium, est honor et dignitas, can. *Præceptam*, 32, q. 5, ibi:

« Generosæ dignitatis testimonium; » juncto c. *Forus*, § fin. *de Verb. signif.* Simulque ferre testimonium, computatur inter actus legitimos, l. *Quoniam multi*. c. *Hæretic.* ibi: « Omne testimonium, sicut et alias legitimas conversationes. » Atqui actus legitimi sunt infamibus interdicti, c. *Licet ex quadam*. 47, § *Nec tamen*. *de Testib.* sicut et illa omnia, in quibus dignitas versatur, c. *Infamibus*. 87, *de Reg. Jur.* in 6. et l. un. c. *de Infamibus*, l. X, ergo.

43. *Idem dicendum de excommunicato, quia reputatur inter infames. Adeo, ut excommunicatus non admittatur ad testificandum contra alium excommunicandum.* — Et hæc conclusio ampliatur, seu extenditur ad excommunicatum: nam is ad testimonium dicendum admitti non debet, quia reputatur inter infames, can. *Illi qui*. et can. *Infames*. 6, q. 1. Concordat textus in c. *Decernimus*. 8. *de Sent. excomm.* in 6, et c. *Excommunicamus*. 13. *de Hæretic.* ubi excommunicati non solum non admittuntur ad testificandum, sed etiam judex laicus ab ecclesiastico compellitur per censuras ad eos repellendos. Adeo, ut excommunicatus etiam non admittatur ad testificandum contra alium excommunicatum. Mascardus, *de Probat.* concl. 705, n. 4; Farinacius, quæst. 56, n. 257, cum aliis.

44. *Intelligendo istud de excommunicato vitando. Et quid de excommunicatis non vitandis?* — Istud tamen de facto est intelligendum de excommunicatis vitandis; hoc est, nominatim denunciatis, aut notoriis percussoribus clericorum, juxta Extravag. Martini V. *Ad vitanda*. Nam excommunicatum non vitandum potest quidem judex repellere a ferendo testimonio, si excommunicatio ejus publice nota est: non tamen tenetur eum repellere, nisi pars adversa excipiat, atque intra octo dierum spatium excommunicationem probet, cap. 1. *de Exception.* in 6; Layman, lib. I, tract. V, part. II, cap. II, n. 14, allegans communem; et amplius ego metipse dixi in *Theolog. moral.* tract. XIII, dist. 2, n. 31 et 32.

45. *Infamis infamia juris, etiam parte non opponente, potest ex officio judicis repelli a ferendo testimonio.* — Resp. II. Infamis infamia juris non solum est repellendus a ferendo testimonio, quando pars adversa excipit contra ipsum, opponendo infamiam juris ab eo contractam, hancque probando: sed etiam parte non opponente, judex ex officio potest ipsum repellere. Ita Glossa in can.

Alieni. 2, q. 7, §. *Non possumus*; Mascardus, concl. 1363, n. 2 et 11; Farinacius ead. qu. 56, n. 34 et 36, et alii. Ratio est, quia infamis laborat vitio personæ, quod redundaret in ignominiam judicis, ad despectum tribunalium si admitteretur in testem, arg. l. I, § 1. ff. *de Postuland.* ubi in simili dicitur, quod prætor « suæ dignitatis tuendæ et decoris causa, » quosdam a postulando removit. Concordat textus in l. *Quos prohibet*. juncta Glossa §. *Patiatur*. ff. eod. Unde inhabilitas ad testificandum in judicio, quæ ex infamia juris oritur, non est inducta favore partium, cui renuntiari possit; sed odio, atque vitio personæ, et ad conservandum dignitatem, publicamque decorem tribunalium, facile diminuendum, si ibi passim admitterentur ad ferendum testimonium notorie infames: ac proinde ad officium judicis pertinet hujusmodi infames, veluti inhabiles, a testificando posse repellere. Concordant dicta superius § præced. n. 20.

46. *Estque inhabilis ad testificandum, etiamsi sit de crimine emendatus.* — Resp. III. Ulterius infamis infamia juris ob commissum crimen, est inhabilis ad testificandum, etiamsi de crimine illo jam fuisset emendatus. Ita Glossa in c. *Testimonium*. §. *Emendatus*. et Abbas ibid. n. 1, et Felinus n. 34, *de Testib.*; Mascardus, concl. 1363, n. 16 et 17, et alii. Ratio est, quia infamis etiam emendatus, non est testis integræ fidei, sed remanet in antiqua nota infamiæ, donec hæc auctoritate principis aboleatur: quia licet per penitentiam animas salvare possimus, infamiam tamen abolere non possumus, can. *Euphemium*. 2, q. 3, § *Hinc colligitur*: sicque penitentiam talibus infamibus non prodest, quantum ad hoc, ut actus legitimi ab ipsis attentati valeant, donec per principem in integrum restituantur. Secus dicendum, quando hujusmodi infamis a superiore fuit dispensatus: quia tunc deletur macula infamiæ, ac proin is censetur testis habilis. Mascardus, loc. cit. n. 73, et alii.

47. *Infamia repellens quempiam a testificando, debet attendi pro tempore lati per eum testimonii, nec obest superveniens.* — Solum nota, quod infamia repellens quempiam a testificando, attendi debeat pro tempore lati per eum testimonii: nam habitus testium consideratur pro tempore depositionis. Gigas, consil. 38, n. 27, Proinde, ut notat Mascardus cit. concl. 1363, n. 10, cum aliis inhabilitas, puta, infamia superveniens post de-

positionem, eam vitare non potest: nam quod ab initio legitime factum, seu rite ac secundum leges actum fuit, non debet postmodum ex alio eventu retractari, c. *Factum legitime*, 73. *de Reg. juris*, in 6, et l. *Sancimus*. c. *de Administrat. tutor.* Neque culpandus est, qui testem pro tempore idoneum produxit, si postea is malus et infamis efficiatur: quia divinare non tenebatur, l. *Si Fidejussor*. § *Si cum debitor*. ff. *Mandati*. Farinacius cit. q. 56, n. 94 cum aliis.

48. *Repellitur tamen, qui tempore præstiti juramenti erat habilis, sed ante testificationem suam incurrit infamiam.* — Secus dicendum de eo, qui tempore præstiti juramenti adhuc fuit habilis, sed antequam ut testis deponat, sive testificetur, infamiam incurrit: talis enim repellitur veluti inhabilis: quia, ut proxime dictum, in testibus consideratur habitus pro tempore depositionis. Abbas in c. *Testimonium*. n. 5. h. t.; Mascardus loc. cit. n. 9, et alii. Quanquam hoc ipsum procedat solummodo de teste infami, qui tempore depositionis jam reputabatur infamis: quod additur ob dicenda n. 54.

49. *Infames infamia facti, an et quando excludantur a ferendo testimonio?* — Additur quoque notanter in data conclusione, « infamis infamia juris. » Siquidem infames infamia facti, seu quorum fama et existimatio apud viros prudentes et honestos graviter læsa existit, in causis quidem criminalibus criminaliter motis excluduntur a testimonio (in istis enim requiruntur probationes indubitatae, et omni exceptione majores cap. 1. *de Exception.* et can. *Testes*. 2, q. 7, et l. *Sciant cuncti*. c. *de Probation.*) nihilominus in causis civilibus, et criminalibus civiliter agitatis, ipsi regulariter admittuntur, licet eisdem de fide non parum diminuatur. Glossa in c. *Testimonium*. 54. §. *Emendatus*. et Abbas ibid. n. 6. vers. « Tertia scilicet infamia facti, » h. t. Ubi inquit istam infamiam facti in criminalibus indubie repellere, sicut et in causis civilibus gravioribus, nisi quoad faciendam presumptionem; in aliis autem eos admitti licet, plus, vel minus, aut nihil ipsis credatur, secundum qualitatem et quantitatem infamiæ. Idem tenet Engel h. t., n. 16; Mascardus, d. concl. 1363, n. 59 et 65, et Farinacius, cit. quæst. 56, n. 100 et 115, ac seqq. allegans alios, atque fusius istam materiam declarans.

50. *Dantur tamen plures casus, in quibus infames infamia juris admittuntur ad testimo-*

nium. Uti fit in criminibus exceptis. — Resp. IV. Dantur nihilominus plures casus, in quibus regula superius posita de testibus infamia juris laborantibus non admittendis ad testimonium, fallit, estque limitanda. Patet hoc inductione. Sic quippe imprimis accidit in criminibus exceptis, puta, in crimine hæresis, læsæ majestatis, ac hujusmodi: in his enim propter eorum enormitatem, ac maximam, quam reipublicæ afferunt perniciem, admittuntur testes etiam infames in subsidium, et cum tormentis (prout limitat Jason l. *Cunctos populos*, n. 67, c. *de Summa trinitat.* et Farinacius cit. quæst. 56, n. 56. allegans alios) ac præsertim socii criminum de se judicialiter confessi; prout jam supra tit. XVIII, *de Confessis*, § 4, n. 98, et seqq. dictum fuit. Ubi pariter, quæ crimina sint excepta, et quantum probet depositio rei de se confessi, et interrogati quoad socios criminum, uberius declaratur.

51. *Item, quando veritas aliter haberi non potest.* — Fallit secundo dicta regula in casu, quo veritas aliter haberi non potest, quam per infames: quia tunc isti admittuntur pro probatione in subsidium, ut judex ex eis eligat aliquam præsumptionem. Abbas cit. c. *Testimonium*. n. 6, vers. « in aliis vero; » et Felinus ibid. n. 11, h. t.; Mascardus, ubi supra, n. 52; Farinacius, cit. quæst. 56, n. 50 et 55, allegans alios. Hinc secundum communem theoriam, de qua testatur Rolandus, consil. 3, n. 3. Infames admittuntur in delictis nocturnis, in quibus alii testes haberi non possunt: sicut et ad probanda gesta in prostibulis, admittuntur lenones, meretrices, et infames, eo quod aliæ personæ honestæ communiter ibi non reperiantur: similiterque mota quæstione, quod quis luserit, et vicerit cum falsis taxillis, admittuntur similes lusores; cum tales personæ simul conversentur, seque mutuo melius cognoscant; prout exemplificat Farinacius, loc. cit. n. 51 et seqq.

52. *Quomodo istud sit intelligendum? Et qualiter tunc personis infamibus credatur.* — Atque hæc fallentia vel maxime tunc procedit, quando neque actu, neque habitu, potest veritas negotii sive delicti aliter haberi, hoc est, quando ex natura talis actus, seu criminis, non poterant alii testes occurrere: uti accidit in furto, adulterio, et hujusmodi criminibus, quæ communiter in occulto fieri solent; item in illis, quæ contingunt in capitulo, intra domum, vel in alio loco abdito